...x.

Cas. Ant. Campus trabeati honor

CAMPUS TRABEATI HONORIS. FERAX,

Jllustrissimo & Magnifico Domino,

D. ALBERTO CONSTANTINO DE GORAY BREZA,

PALATINO CALISSIENSI,

CAPITANEO NOVODVORENSI, &c. &c.

in

auspicatissimo Palatinatûs sui ingressu,

longæua in auspicia

EFFLORESCENS

è Voto obseruantissimi Clientis sui,

M. CASIMIRI ANTONII DZIVRKIEWICZ,

Philosophiæ in Vniuersitate Cracouiensi Doctoris, in Academia Posnaniensi Rhetorices Professoris, Contubernij Szoldrsciani Præfecti.

Anno Floris Nazareni M. DC, LXXXVII.

POSNANIÆ,

In Typogr: Rndi D. Alberti Láktanski.

In Gentilitia Illustrissimæ BREZARVM Domûs Arma.



Parciùs Elysios celebret iam Græcia campos,
Ver ubi perpetuum, florida serta gerit.
Maior inest ternis BREZARVM *gloria Campis.*
Vltrò qui Patriæ commoda mille ferunt.
Nonnè Palatinas potuerunt ferre Curules?
In quibus eximius nascitur omnis honor
In commune bonum vigeant crescantq́; fouentes
Ingenitâ Patrium fertilitate solum.

CAMPVS TRABEATI HONORIS FERAX.

ABscedat profana vulgaris alibi glebæ, campiq; vbertas, minorum nonnisi gentium surculis idonea, non audeat quidquam cum suis copiosissimis frumentis Sicilia, omnium gaudia omnium amores exsatiantibus. non se Ægyptus iactet, fertilissimis ad ostia Nili latèpatentibus agris, ipsas Ethesias deliciarum parturientibus. BREZEIA Tempe, omni honesto & gloriæ peruia, Maiestatis suæ amplitudinem maiorem hodie faciunt, dùm Purpurati sanguinis gloriâ Palatino triumphant honore. Non vna glebam hanc excolit Gratia, sed triplici situ trinæ inuitantur Charites, vt in auspicia tam excelsæ dignitatis, manibus ferant lilia plenis. In CAMPIS hiscè nihil vulgare crescit, non vrticæ aut inanes herbæ, sed augustæ tot factorum, meritorumq; adoreæ, tot triumphales Palmæ, quas Patria, quas Ecclesia, felici omine colligit BREZEIÂ vbertate irrigata. Non soliùs Martis aut Bellonæ tantum sedes hîc accomoda, vbi ferreâ semente crescendi fertilitas constet, sed pacatiores manu oleæ, tot publicis functionibus, tot consilijs, tot magnorum operum speciminibus conspicuæ, in nouam hîc assurgunt plenitudinem. cælestibus affatim recreantur affluentijs & gratiosis Astrorum fauoribus animantur. Amplissimis & excelsis curulibus hoccè Theatrum peruium est, sum-

misq; decoribus aptum, vbi non scenicam Trabeatus Honor personam agens, Cæsares ex vtroq; probat. Felix profectò hæc terra, quam rore gratiarū suarum Dea sapientiæ Pallas, ita fœcundam fecit, vt nihil aliud præter maturos probitatis, fortitudinis, & consumatæ sapientiæ fructus Orbi Polono germinaret. At ego eximia, florentissimi Brezeij Campi, naturæ dona, non ita reuelo, vt ipsius scrutator appaream, sed quòd maius est, donorum eius præstantium admirator existam. Miranda profectò illius virtus est, quæ tot laureas virtutum, palmas tot decorum fertilissimo germine produxit, producitq; indies, quæ semper immarcescibili flore, non tantùm per æstates, imò verò per integras ætates, lustra, sæculaq; innumera virebunt perenniter. Inde frustra Mantua Messem inuidet proprij veris, quia non semper ipsa Arctöa Böotæ hyems constringit humum, etiam in Lechicis oris perpetui nascuntur flores, nomen inscripti Achillis præseferentes, quos non Edonius cruor, neq; pictus Adonidis conserit hortus; sed ipsi hostili tabo copiosè irrigati dulci rubore mortalium recreant oculos. Gloriabatur olim Campus Engaddi fructuum suauitate, florumq; abundantia, ex quibus decoctis prisca Medicorum solertia, ope Æsculapii id egerat, vt succum ægris mortalibus ad sanitatem restaurandam, vires amissas recuperandas, sitimq; inexplebilem sedandam tribueret. at longè magis proficui flores in triplici BREZEIO nascuntur Campo:

- - - - - nam floret amæno
Interdum cultu Medicas & germinat herbas.

ex quibus afflicta Patria, iamq; extrema infirmitate laborans, vt corpore quàm optimè valeat, vt rursus pristinas resumat vires, recuperetq;, saluberrimam toties percipit medicinam, cuius dulcedine perfusa,

omni

omni tempore confortatur, omnia in illis antydota, & myrothecia publicæ sanitatis inueniuntur, omnia vnguenta, & opobalsama fragrant, adeò: vt nemo reperiatur, qui hoc in passu genuinæ veritati Theoninum audeat opponere dentem, vel inuidissimi Zoili sectari partes, nisi fortè idiota, vel caligantium repertus fuerit oculorum. Quis enim est de numero Patriæ Ciuium? qui de his florigeris Campis, suis in angustijs, atq; anxietatibus, suauissimam non capiat voluptatem: quis? qui tot arduis in negotijs, vberrimas consiliorum non colligat fruges: quis demum? qui amœnitate, gratiâ, & pulchritudine eorum non delectetur. Vniuersi ad eos, velut ad Delphicvm Apollinis concurrunt Oraculum, de quibus, magno perfusi gaudio, læto abeunt animo, atq; serenâ secedunt fronte. Ea sanè Gentilitiorum Brezeiæ Domûs Camporum vnica & præcipua felicitas, quod & asperrimis brumæ frigoribus, & sæuiente glaciali hyeme fructus sapidissimos, floresq; iucundissimos proferant: adeòq; segetum feraces, atq; odoriferis herbis virescentes sint, vt nullis frugiferis, suâ natiuâ fertilitate cedant Campis. Quam beatam messem, vbere penu totas fundentem opes, non illis flaua inuidet Ceres, nec ipsa venustos Alcinoi denegat Flora flores; quinimò adhuc inclyta Nais hûc vndarum profert scatebras, & vitreas, nobilissima hæc immortalitatis germina circumfluentes lymphas, Tago Hebroq; omni pretiosiores, vt perenni semper vernent decore. Ast non hîc meta terminusq; est præstantissimorum florentissimi Brezeii Campi naturæ donorum, quibus omnes Orbis Lechici partes repletæ sunt. Tendit adhuc ad ipsa æthera suis decoribus, atq; congenitâ amplitudine, adeò: vt augustam ipsius immortalitatis maiestatem, pro suo sublimi genio angustiarum exo-

 sam,

sam, suâ hâc capacitate commodissimè circumscribere comprehendereq; valeat. Non eget ad æternitatis brauium alijs decursibus, quia per ampla sua Olympia potest decurrere, & giganteos contendentium illuc meritorum passus, latiùs defigere. felix Gentilitij gloria decoris, in amplam campi patentis latitudinem gloriose diducti, in quo ipsa immortalitas sibi defigit stationem. Meritò ergo testudine vatum meretur.

Immortale decus pretium, nomenq; perenne.

Nunquam iam pallidam timebit mortem, quæ omnia videns, oculatior lynce, Argoq; centoculo perspicacior est, imò altis meritorum germinans culminibus, æquè faciliori ac feliciori præ cæteris cursu, ad æternæ gloriæ capitolium tendet. Sed quis ampliori curiositate audebit adire ac peruagari Vastissimam, quà triplicem, Natiui Jllustrissimæ BREZEIÆ Domûs Decoris, amplitudinem. Satis inter festiuos applausus, & publica gratulantium vota, sit elogij Tui Trabeati Honoris hodie ferax Campe. Nam si Tuarũ colligere velim Jliadẽ panegyrum, angustiarum consciùs calamus prius deficeret, quàm quidquam condignè de Tuis magnis attingeret laudibus. Assurgunt hîc Tuo competenti elogio, tot meritorum decorumq; manipuli: assurgunt Tuæ immortali gloriæ, tot Tui lectissimi flores, Jllustrissimo BREZARVM sanguine purpurati; illi non minùs bellicosissimi, quàm gloriosissimi Ernesti, quorum vita erat in victa pro victorijs, palmis, & triumphis; Ciuicis ornata tempora habuêre coronis, dum, non frustra Lechicis in oris zelantes purpuratum meruerunt honorem, sed sanguine pro Deo, Republica, & Patria, toties fuso. His licet crudelissima vitæ prædatrix, suam immiserit falcem, haud tamen quid-

quam

quam collegit; nam qui immortalitatē viuendo meruerunt, etiam post vitam mori nesciunt. Viuunt in suis posteris, non minùs gloriâ, quàm meritis paribus. Et hæc est vnica felicitas, post sera fata, generosam mentem in suis carissimis spectare pignoribus, non degenerem à suis præcelsis, & eximijs virtutibus. Sed quis posset vastissimum, Illustrissimæ BREZEIÆ Domûs, in recensendis tot magnanimis Heròibus peruagari campum? quis eorum nomina, & militares in bello sudores, in cinere mortalitatis colligere? ipsa sibi seruauit æternitas, deuota Marti Bellonæq; tot augusta BREZARVM Nomina, ipsaq; est pugnantium in bello testis, triumphantium corona. Mihi interdum suffecerit, pauca ex hac illustri Prosapia, laudum cumulo, in specimen protulisse, vt appareat manifestè, non certiùs olim antiquos Spartiatas, ex natiua sibi, congenitaq; lancea, quàm fortissimos BREZAS ex heròicis operibus nosci. Continuarunt hunc bellicæ virtutis ardorem digni heròicis Maioribus filij NICOLAI BREZEIJ, quorum contra vim Moschouiticam, & Otthomanicam præclara in bellis virtus, quid aliud fuit? nisi amoris in Patriam corona. Ab hac enim Gentilitijs BREZEIIS CAMPIS, perennis viror vigorq; cum æquè in Martio puluere, fortitudo eorum, vt & in consilijs summa prudentia, nihil aliud, nisi amorem boni publici spiraret. Ferax profectò est Auitæ virtutis, splendorisq; Illustrissimus BREZARVM Campus; quidquid namq; pretiosi colligere licuit, id totum emicuit, resplenduit, in magnis huius Nobilissimæ Familiæ Heròibus. At his vberrius enarrandis, maior debetur historiæ amplitudo. Referunt Annales Germanici, à tot sæculis suis in oris Martia BREZARVM opera, deprædicant victrices

de

de hoſtibus palmas. canunt auguſti ſanguinis gloriam, tumq; excelſas curules & trabeas triplici eorũ in Campo reſediſſe. Fertur (teſte Thucydide) ex Oraculo Apollinis, in ligneis Domibus ſeruatas fuiſſe quondam Athenas. Fatetur Germania, repetitq; memoriam acceptorum, ab Illuſtriſsima BREZEIA Domo, tot in periculis beneficiorum; cuius in manibus, niſi ſalutem ſuam depoſuiſſet, in magno diſcrimine ſuæ integritatis toties ſubſediſſet. Ecquis ergo Ciuicas Coronas, Illuſtriſsimos BREZEIOS negabit meruiſſe? qui tot Ciuibus, quos fata aut lora hoſtium manebant, ſeruatis, eaſdem publicâ voce capeſſerunt. Viue felix Illuſtriſsime BREZARVM ſanguis olim Theutonicæ, nunc Lechicæ ſũma gloria Gentis. Verùm liceat adhuc in Gentilitios digredi Cãpos, & metiri calamo excelſa Illuſtriſsimæ BREZARVM Domûs Decora & ornamẽta, quæ ad præſens (omiſsis alijs Anteceſſoribꝰ) in Te vno lectiſsimo virtutũ fragrantiâ, odorifero flore, optimo & fœcundo beatâ felicitate manipulo, Illuſtriſsime Dñe ALBERTE CONSTANTINE BREZA, Palatine Caliſsienſis, contemplamur. Omnia quæ plantauit Heròica Virtus Tua, quidue immortalitas colligere poteſt, perenni recordationi æternũ Tu reddis. Expreſſerat ſatis affabrè Princeps Fabrorũ in ſcuto Achillis totius mundi partes, Vrbes propugnacula, cælos deniq; ipſos, & motus aſtrorum: at ſpecioſiùs longè, excelſa & ſublimia virtutũ Decora, compendio data in Te vno repræſentantur, beato Campi Tui manipulo. Iactant alij ſe vt excelſas arbores eſſe, ad quos ſola trophæorũ, non ſimul virtutis Maiorum, tranſijſſe videtur hæreditas: excelſũ ſanguinem ſortiuntur, abiectam indolem; probant maiores ſuos ſapientes, induſtrios, fortes, ipſi autem inſcij, ignaui, imperitiq;. Tibi verò Illuſtriſsime

Domi-

Dominę incorrupti vigor ſanguinis æquabili meatu Venas per omnes fluxit, vereq; non minùs ad Te Maiorum claritas, quàm magnificus virtutũ omnium descendit apparatus. Nil proſunt ſtēmata, nil prodeſt longo ſanguine cenſeri, ſi nulla virtus maneat in pectore; at Tu illuſtrem generis Tui ortum virtutum nobilitati ita coniungis, ac coniunxiſti, vt hæ duæ columnæ, cum virtute nobilitas, cum nobilitate virtus, fixæ in Tuis Gentilitijs Campis æternùm ſint perennaturæ. Vniuerſa hæc gemino rectè factorum lineamento transfuſa in Te, quæcunq; in glorioſiſsimis Auis Atauiſq;, nec non Jlluſtriſsimis Parentibus reſplenduerunt. Et cum humanis corporibus menſuram ac imaginem prima deſcribat ætas, Tu Jlluſtriſsime Dñe, ſtatim in primo flore ætatis, iam vivum pietatis, candoris, modeſtiæ, & innocentiæ fuiſti ſimulacrum, ipſi candidiſsimo ebori ſimillium, utq; nobiliſsimã Natalitij ſplendoris ſementem ad perfectam maturitatem proueхiſſes ſingularius in eius teſtimonium laboraſti, egregiam indolem honeſtiſsimis literis, omniq; virtutũ varietate, ad magnæ fortunæ cultum imbuendo. Mox integerrimo pectori, prima ſapientia Devs ſimulac inhæſit, humana quoq; ingenio docili, erectoq; facilè acceſsit. confeſtim cultiſsimum animum, quem iam omnes inſederant Gratiæ, Muſæ quoq; non grauatim ſubintrauêre. Ita ſanè flos juuenum lectiſsimus, virtutis pariter ac doctrinæ inſigni profectu ſuccreſcens, curas omnes Præceptorum ſudoreſq;, illo animo, ad ſumma omnia nato, abſterſiſti. Sic non leuem eruditionis prouentum magnâ mente ſectatus, poſt hac peregrinum ſolem luſtrare placuit, animo ad peregrinos mores inconcuſſos reliquiſti fines Patriæ, virtutem tamen non reliquiſti, ad

exotici ſermonis elegantiam, oris non animi idioma flectendo. Peragraſti magnis ſudoribus longinqua regna, vbiq; ſcitiſsimos doctrinæ flores ac germina decerpendo, Tuiſq; Gentilitijs Campis, non ſine ingenti cura inſerendo. Iuiſti per cunctas eruditionis partes, & quidquid apũd Oratores graue, in hyſtoricis fidele reperitur, ſedulò adhibito conatu obſeruaſti, ipſiſq; Philoſophicis ac Theologicis ſtudijs ac continuis exercitationibus ſerio invigilaſti, ita: vt quiſq; cernere poſſet, à Tuo diſputantis vel perorantis vultu pendere Romam, profundius demiratam, in vnius indolem, tot naturæ gratiarum dona, tot ſolertis in genij facundiæq; lumina congéri potuiſſe. Poſt literarum linguarumq; cognitioné optimè inſtructus, prudentiâ inſtructiſsimus, ex alieno Orbe ad proprium redijſti, oſtendiſtiq; regimen ſui, etiam juuenibus ad manum eſſe, ſub hac ſparthani in ſeipſum rigoris diſciplina. Auxit tandem deſiderium ea, quæ præuenerat æſtimatio, votaq; ipſa non tantùm deſtinari, ſed impleri exoptarunt, vt non ſoli Tibi Muſiſq; in aliquo priuato ſeceſſu viveres, vacareſq;, ſed quod magnanimis mentibus proprium eſt, Regalibus obſequijs, totq; aſperis illis, & rigidis, ſed bono publico vtiliſsimis negotijs, Tuum generoſum addiceres animum, conſecrareſue. Factum eſt, quòd intimis exoptabatur votis, vix virtutem Tuam in Aulam Sereniſsimi ac Inuictiſsimi Ioannis Casimiri tum temporis Poloniæ Regis intuliſti, cognouerunt ſtatim Sacra Majeſtatis Senatûſq; Oracula, illam magnarum dotum indolem, ſolis excelſis operibus aptam, ſummis Reipublicæ negotijs inpoſterum fore proficuam: quã Tu eò ſeriùs, ad cõmunem omnium plauſum, ſolido labore, patientiâ, arduorum voluntariâ ſuſce-

ptio-

ptione, comitate collectaq; alia splendida virtutũ congeriè ita exagerasti, vt maturo multorũ præstantium ingenio iudicioq; virorum gratias laudemq; merereris. Quanta Tua, ad latus Principis constantia, quanta moderatio, quanta vigilantia, nil fuit quod læderet oculos, nil quod offenderet aures, omnia pulchra & integra. Quid dicet, illa Tua illibata, in maximis Regum Serenissimorum negotijs fides? quæ nec linguæ nec calamo committitur, sed soli animo; omnia incomparabili dexteritate Tua, ita gloriose semper perfecisti, vt nec Plinij ore, nec calamo satis laudandus sis, tantò propior altioribus, quantò pulchriùs per gesta præclara, & egregia merita cõmendatus, iueris ad honores. Grandè profectò hoc Gentilitiorum Auitæ virtutis Camporum semen est, quod dum primos in Republica producit flores, statim felices & jam grandes perspicax mortalium deprehendit pupilla. Non solis tantum in aulis Principum versari, ast etiam in Bellonæ castris, posthac in publicis Palatinatuum conuentibus, in eminentibus Tribunalium subsellijs, in generalibus Reipublicæ comitijs, atq; diuersis totius Regni munijs Tuam amplissimam excellentis animi magnitudinem probare contendisti, illud per obstantes cuneos secutus, quod magnæ spei mentibus, & solis generosis pectoribus innatum est. Prodromam virtutum prudentiam, omni in loco semper exactissimam, & quia Campo, pro Stẽmate insignem, ideò consiliorum feracissimam, in obeundis Reipublicæ negotijs amplectendo, tum comitate, modestiâ, mansuetudine, affabilitate, ac propenso in omnes studio, amorem, cunctorum Patriæ Ciuium sibi conciliando. Feliciorem Te hac in parte ipso Traiano verè dixero, quem hisce virtutibus longè superasti.

His pasſibus per ardua, tendentē ad maiora, omnes ſtupore proſequebantur, multorumq; voces fuêre, Te Tuoſq; lacertos ferendis Reipublicæ oneribus pares futuros. Neq; eorum omina vanæ ſpei increpuere vento, nam mox perſecutus honor ſummū inuenit virum, quando vnanimi omnium applauſu, votiſq;, toties ad ſacra Diuæ Themidis Oracula Iudex deputatus, toties ad generalia Regni comitia Nuntius terreſtris proclamatus ac electus fuiſti. Perfeciſti mirabili prudentiâ Tuâ, hæc omnia Reipublicæ munera, egiſti vniuerſas cum magna Tui Palatinatûs gloria functiones. Vidit Te Curia Curium, & eloquio facundum Demoſthenem. Suſpexit grauiſsimum Senatus concilium in ſolerter conijciendis publicis incōmodis commodiſq; centoculum Argū. Admirata ſunt tribunalitia vindicem æquitatis ſulpicium. celebrauit religio, ob purū illibatumq; Superis honorem redditum, integerrimū ſacrorum Præſidem ſcæuolā coluerunt cruenti Martis Bellonæq; certamina, ac ipſa militaria caſtra, flāmæ velocitate ruentem in certamina Decium. Stupuerunt demū remotæ Orbis partes in difficillimis legationum nodis expediendis, acutum Popiliū, quando poſt longa in Reipublicæ negotijs experimenta, poſt retentā in conuentibus publicis, ſummā authoritatē & partam ex virtutis meritis Principum gratiā, magnus Patriæ Ciuis, illud legationis munus, quod totius Sueciæ plauſum meruit, dignus Suecorum Principe Orator extitiſti. Locuta eſt majeſtas Polona in Te prorſus ad Roſcij numeros, & ita locuta, causā boni publici agens, vt palā auguſtiſsimo illius Principis conſtaret ſolio, vigorē mentium Polonarum, atq; fortitudinem, nullis vrgentibus fatis cedere; quinimo contra audentius ire, ac eniti. Verè ingentis animi dicaris

Illu-

Jllustrissime Dñe, qui honorẽ Patriæ, hoc Tuo Oraculo gloriosiorem reddidisti. Adscribunt sua sæcula magna Theodosio elogia, quod inter magnificos mensæ apparatus, innocenti vulnere tela, non ex mortis, sed amoris pharetra prompta, nec in vulcani officina, rigenti ferro excussa; sed in opulento Ditis gazophylacio, solido auro fabrefacta, in conuiuas jecisset Senatores. An non ad Tuam laudem & excelsa encomia illustrius est, quod non ferreis vsus sis telis, imò plusquam aureis, quibus, non animos hominum, sed illum sæuum Septemtrionis Leonẽ expugnasti, dùm benigno alloquio, comitate, blandis illicijs, officijsq; Tuis, eum irretijsti, amore tenuisti. Cedit ipse Romanæ facundiæ Parens, huic Tuæ prudentiæ, & in referendis Reipublicæ negotijs incomparabili dexteritati. Ita præcellentibus triplex BREZEIVS Campus efflorescens dotibus, tanta apud omnes, & maximè suos Principes, creuit sui æstimatione, vt non alios libentiùs, quàm ipsius salutiferos, in arduis rebus, periculosoq; Reipublicæ tempore, sæpiùs odorari exoptauerint flores. Quod vt fieret cõmodiùs, cessit benignissimâ Dei ex altō destinatione, Serenissimi verò IOANNIS III. Regis Inuictissimi, singulari gratiâ, & augusto iudicio, vt non ex alio, quàm BREZEIO Campo, miræ pulchritudinis & elegantiæ flos, laureatusq; sapientiæ manipulus, in horreum magni, quia Senatorij Honoris, eximiæ probitatis manibus inferretur. Hic exulta Polonia, quando virtutes Honori, pulchro ligari fœdere contemplaris, felix enim talis est, vnius ad alterum relatio. Suscipis munus Castellaniatûs Posnaniensis Jllustrissime Dñe, breui auream messem, fructumq; Cerere beatiorem, vniuersa vitiorum zizania procul eijcientem, Lechico Orbi daturus. accedis ad arcana & difficillima quæuis Reipublicæ negotia, illis Tuâ per tot literarum Athenas, & Athenæa conqui-

sita, jamq; ad multiplicis experientiæ Lydium probatissimâ sapientiâ, perbellè responsurus. Gloriabatur olim totius Orbis caput Roma, suis boni publici ardentissimis zelatoribus, Appijs, Fabijs, Tullijs; at longè magis lætari gloriariq; Polonia, Te vno potuit, potestq;, quem eximium magni consilij Senatorem, rectissimum boni publici consultorem, adorat & veneratur. Tu enim multis circumventæ periculis cōmuni saluti efficaciùs Podalyrio & Machaone medebaris. Tu conuentus illos nobilitatis, in quibus sancitorū in commune magna vis agitur, animo præclaro, iudicio sublimi, & eloquio dulcissimo recreabas, exortas inter tumentes conciuium animos dissensiones, beatissimo concordiæ nexu sopiebas. Quid illud pelagus Comitiorum Regni, quantis turbinibus, quantâ agitatione, quantis ab imo æstibus moueri solitum, Tuâ animi moderatione, prudentiâ, atq; leni temperamento, fuerit compositum, quamq; auspicatissimè ex voto ipsius cesserit Patriæ. Fuêre namq; talia tempora, quæ res difficillimas spirabant, fuere negotia, quorum tractationes ambiguæ, varios è diuerso sensus exercuerunt, cum Majestatis & libertatis Polonæ verteretur cardo. Fuêre ingentes motus, quos sæuus Oriens concitabat, Regni viscerum integritas, salusq; Patriæ anxia, tota demùm Polonia mæsta, intus forisq; in mille incurrēs cuspides. In illo lubrico an Euripo tenere modū non deficere, prouidere, ac curare meliora, pretium perbellè consulentium facere, secùs opinantium sensus reprobare, Ciues diuisos conciliare, quanta animi magnitudo! quantum felicitatis Oraculum! has inter salebras, actum per Te summâ prudentiâ, dexteritate, vt contra fulmen & horribilem procellam ab Oriente, domi saltem malatia foret. Verè es Cōstantinus, quia summâ armatus constantiâ, prouidus consilijs, verax sententiâ, bono publico amicus, atq;

pro

pro iuribus Patrijs, etiam ad aras intrepidus; omnia probatissima in Te reperiuntur, comi, faciliq; animo temperata, & leuamini Patriæ maximo nata. Meretur proinde magnifica virtus Tua, non in obelisco aut pyramide onerosam lapidum struem, sed summorū in Republica Honorum augē. Neq; inter hæc mihi tacere licet illud præstitum Patriæ obsequium, in arduo legationis munere, ad Jllustrissimum & Excellentissimum Principem Brandeburgicum obeundo, illo tempore, quo sæua ab Oriente surgens tempestas, Lechiæ & Germaniæ terras, suis fluctib9 obrueret. Tunc Vrbes Borussas, vi admirandâ, & nouis in Orbe nostro machinis, arietatas, magnâ nominis Tui gloriâ, transijsti, sedem illius Principis, boni publici causâ missus legatus adijsti, omnia ad vnguem egisti, perfecisti. Redeunti Tibi publica occurrit lætitia, & ex gratia Sacræ Regiæ Majestatis, gratitudinis locò Inouroclauiensis cessit Capitaneatus. Ergo nè jam, tot exantlatis laboribus, tot exactis functionibus, toq; ditibus patrimonij gazis, in cōmune Patriæ bonum profusis, augustum Tuum pectus exoptatâ tranquillitate vacabit? Ergo ne semotam à curis vitam agere desiderabit? minime, Nescit virtus Tua, quàm Orbi in exemplum dedisti deficere, nescit inter continuos motus respirare, quinimo semper agitari, vt magis omnibus prosit, conatur. Tu priuata Ciuium negotia componere, lites dirimere, dissensiones sedare, lenissimo concordiæ vento, solus vel vnicus nosti. Tu litigiosas illas controuersias, contentiones, disceptationes, vel de bonorū hæreditate, vel de limitum protractione, aut qualicunq; alia iniuria, inter Vniuersam Maioris Poloniæ Nobilitātē mitigare, & Senatoriâ authoritate Tuâ mederari consueuisti. Quid dicent illæ publicæ Cōmissiones, tam militares quàm monetariæ, quas Tu toties, non sine graui salutis,

& bo-

& bonorum dispendio, magnis sumptibus, propter commune bonum, proprium exhauriendo peculium, gloriosissimus Senator absoluisti. Memor erit posteritas horum Tuorum effusorum pro Patria sudorum, inscribet marmoribus dulce nomen Tuum, semperq; in eius recordatione, triplex BREZEIVS vernabit Cāpus. Vidit hæc videtq; Tua eximia opera, maior Epaminonda Princeps, Serenissimus & Inuictissimus JOANNES III. amor Ciuium, terror hostium, & fulmen totius Orientis, cognouit seruatam à Te Principi suo, & Reipublicæ constantem animi Tui fidem, cognouit suscepta circa Patriā, eiusq; Ciues, tot curarum onera, dictis factisq; Tuis, allect9 seriò cogitauit, quo tandem fidem illibatam, & integritatem animi Tui eximiam compensasset. En mox, quod erat in propositis fatorum ordinatione stétit, quando hicce Serenissimus & Inuictiscimus Rex JOANNES Trabeato Honore Palatinatûs Calissiensis, Te nunc felicissimè insigniuit, Tuaq; merita coronauit. Quanta hinc gloriæ Tuæ accessio! quantum æstimationis pondus! dùm Illustrissimis hac in dignitate Nominibus Działynij, sago Togaq; clarissimi Lesczynij, succedens; tanti Principis iudicio Palatinus Calissiensis merueris renunciari. O pectus vere aureum! quod ipsis gloriosissimis Principibus, in delicijs es, quodq; augustas mentes, enixa Tui cura solicitaris. Igitur hanc excelsam, quam Tua Tibi in Campo Tuo plantauit virtus dignitatem, dum felix fortunatusq; hodie colligis Illustrissime Dńe, & fulgur istud Trabeati Honoris, quod fortunā perstringit, inuidiā absorbet, cum adpræsens in Regia Calissiensi Vrbe, solito ad ingressum more explicas, omnium affectibus & præcordijs, amore publico inuisceratus, ipse venerabunduu appares. Raptas gaudiorū excessu mentes, dum te ex æquo, magni huius nominis pondus, sustentaturum intelligunt. Conscendis

ver-

verticem, non in quo virtutem fessam reponas, sed vt magis de bono publico mediteris. Geminas fulgoris Tui incrementũ, dum ex culmine primo Senatoriæ excellentiæ, ad culmen felix, quia secundum, per exultantium voces, plausus, panegyres secundis procedis auspicijs. Patebit Orbi universo ex hac Honoris Tui eminentia, meritorum Tuorũ celsitudo, quàm quia impar calamus condignè non potuit attingere, prompto saltim veneratur obsequio. Nemo est qui Tibi hũc sublimẽ ascensum inuideat, imò magna omnes exinde lætitia tenet. Iuisti ad præmia, absq; cõtentione, accepisti, quamuis manus non exporrigeres. Ita certè hic novus Honor Tuus, quẽ auspicaris, non reuerentiæ tantum erit, sed amori, non solum gloriæ omnium, sed etiam vtilitati multorum seruiet. His Te insignibus ornatum adorat Patria, speratq; se non leue solatium modernis in angustijs, atq; calamitatibus, ex Tuis consilijs habiturã, omnes hostiles conatus despecturã, nec non fortunæ tantum vices, sed & temporis omnia arrodentis senectam contempturã. Inaugurat Ecclesia ardentissimum Te Honoris sui zelotem, omni in loco reperturum. Poscunt effusæ in vota oræ Calissienses Te amoris publici, & Districtûs sui dulce corculum futurum, Tuisq; gratijs foueri, protegi, vnicè desiderant. Flectunt Tibi victori animorũ corda, in arcus triumphales, quibus magis quàm tectis passu fortunato succede. Ingredere Campum meritis Tuis pridem competentẽ, in quo magnarum argumenta virtutum dabis, faciesq; quod magnam lucẽ, angustijs inclusam decet, vt amplissima Tua dignitas, tantò hic illustrius sese euibret in splendorem, quantò angustioribus adstringitur terminis, quibus se impendat. Repleri Tuo suauissimo odore Vniuersus præoptat populus, ideoq; pronus Tibi solenni põpâ ingredienti prosternitur. Quare triũpha in animis omniũ fortunatissime incola, perge tàm virtutibus quã Honoribus eminentissmè Se-

E

nator.

nator, repellant à Tuis sæculis nubila, amica trinis Gentilitijs Campis aurea sidera, dentq; Tibi serenos sine nube dies, omnes horæ & momenta proferāt Tibi dulces ætatis longissimæ fructus, vt Patriæ Tuæ Nestore diutior Vivas. Hæc non inspersa blandis adulationum cerussis Tibi exoptat penna, sed sincerus fidelis Tui Clientis animus, liber condimenti & ab assentādo alienus. Supersint vtinam diutissimè, & dilectissimi Fratres Tui, in quibus instaurata cernimus felici æmulatione virtutis Antecessorum Decora. Floret in Jllustrissimo ADAMO Castellano Santocensi Germano Tuo incorrupta in Patriam fides, & ardentissimum boni publici studium, quod toties anterioribus annis manifestis se prodijt explicuitq; argumētis, dùm Martios inter pulueres longo tempore versaretur, & victrices de hostibus laurus suis Gentilitijs insereret Campis. Fulget fortitudo, religio, cultus ciuilis, elegântia, dexteritas, in magnanimis VLADISLAO, ALBERTO, NICOLAO, IOANNE, Tuis Fratribus Patruelibus, qui ad arma nati, armis pro religione, Patria, & libertate decertare, sunt semper parati. Hæc vberrimæ fruges triplicis Vestri Campi, fructusq; sunt, quos ex hæreditario fundo, in horreum Reipublicæ conuehitis. Augeatis Vestris in Patriam meritis spem Jllustrissimæ Domûs, addite maiorem Gentilitijs culturam Campis, copiosa præsagā fertilitatis, quorum Telus immunis sterilitatis, nobilissima omnibus propè sæculis germina, in emolumentum suæ Patriæ, fœcundo producit partu, atq; Honorum Trabeatorum est semper, eritq; feracissima.